



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Practica Theologiae Mysticae

Gelen, Victor

Coloniae Agrippinae, 1652

Eminentissime Princeps Elector.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9766



EMINENTISSIME PRINCEPS ELECTOR.

Quod admirabilem Hierarchiæ Cœlestis ordinem, Hierarchia Ecclesiastica pro viribus ac conditionibus hujus vitæ quam studiosissimè imitetur, vel olim ex sapientia divina (quæ omnia disponit suaviter) & à sanctis Doctoribus (tanquam per lumina quædã cœlestia in Ecclesia militante splendētia) hucusque incessanter didicimus. Cœlestis porrò Hierarchiæ ea dispositio invenitur, ut supremū Numen divinis laudibus ordinato consensu beatissimi illi spiritus, à supremis ordinibus per medios, usque ad infimos collaudent atq; superiores medios, medii autem infimos choros ad Dei ordinatissimam voluntatem, illuminent. Iã verò & ejusmodi ordinem in Ecclesiastica Hierarchia observari: S. Paulus ostendit dicens: Ipse (a) (videlicet Christus Dominus) dedit quosdam quidam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationē sanctorū in opus

(a) Ephes. 4.

);(

mini-

ministerii in ædificatione corporis Christi: quoniam
ita Ecclesie totum corpus^(a) per nexus & conjunctiones
subministratum, & constructum crescat in augmentum Dei: per
infatigabilem illam sollicitudinem animarum, quam divini
pastores subditis suis impendere consueverunt, admirabili
spiritus Sancti virtute cœlitus induti; cuius etiam operationes
cum S. Paulus ad longum enarrasset; tandem subjungit: quæ
directè ad nostrum faciunt propositum, dicens: ^(b) præter ea quæ
extrinsecus sunt instantia quotidiana, sollicitudo omnium
Ecclesiarum: quis infirmatur & ego non infirmor? quis
scandalizatur, & ego non uror?

Quemadmodum igitur Ecclesiastica Hierarchia ad cœlestis
Hierarchiæ imitationem per supremos medios, per medios
infimos ordines pie sancteque disponit, atque gubernat; ita
quoque inter supremos ordines Archi-Episcopos jure merito
comprehendendos statuit: intra quorum numerum cum
Eminentia Vestra tam divina quam humana providentia
annumerata sit, non minus gratui-

^(a) Coloss. 2. ^(b) 2. Cor. 11.

gratuitis quam naturalibus adornata donis; nostri profecto muneris fuit, hæc omnia, ea qua par est & reverentia, & cordis affectu humili Veneratione prosequi. Præcipuè verò cum jam ab initio Coadjutoralis Electionis Eminentia Vestrae animum in afflictorum subditorum levamen, & solatium pleno cordis affectu inclinari didicissemus, per sollicitam (in tam gravi dignitatis officio) administrationem justitiæ: quæ virtus quantum apud Deum remunerationem expectare habeat, nemo utilius Daniele Propheta exposuit; qui in spiritu tam præclaræ virtutis merita prævidens ita loquitur. (a) Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates: in quibus verbis non tantummodo vitam æternam, sed etiam præstantem quandam gloriam superaddendo promittit. Nec immerito certè, quo enim in genere vel scientiæ, vel artis, aut laboris, tantæ occurrant insidiæ, fraudes, molestiæ ac tædia, quam in sincera justitiæ administratione? Quapropter ad tam præclarum

):(2

opus

(a) Dan, 12.

opus Ecclesiasticus. divino spiritu commotus;
Militantis Ecclesie Magnates adhortatur dicēs:
(a) pro justitia agonizare pro anima tua, & usq;
ad mortem certa pro justitia, & Deus expugnabit
pro te inimicos tuos.

Gliscit nunc animus hanc rem breviter quidē
efficaciter tamen memorabili quodam Exēplo
demonstrare: Itaque inter Anachoretas illos, qui
olim admirabili austeritate Domino vivebant;
cum primis celebris fuit magnus (b) ille Paphnu-
tius, qui posteaquam continuis jejuniis, vigiliis,
corporis mentisque afflictionibus, atq; orationi-
bus præ omnibus nomen sanctitatis consecutus
fuiſſet, pio desiderio incitatus ab Angelo sancto
tandem didicit, quis in hac vita ipsi similis esset
in merito & gratia: ejus porro vota cum Deo pla-
cuiſſent ab Angelo tale responſum tulit, quod
nimirum similis esset illi apud Deum qui Prima-
rius (sive ut aliqui volunt Princeps) erat vici illius,
cui proxime cohabitabat; Paphnutius itaq; dig-
na admiratione commotus tanti meriti virum

CON-

(a) Eccl. 4. (b) In vita ipsius.

convenit, divinam revelationem accuratè expo-
nit, atque obnixè deprecatur, ut sibi candidè ape-
riat, per quæ exercitia ad tantam perfectionem,
Deiq; gratiam pertigerit; qui divinam voluntatè
cū agnovisset, Paphnutio inter alia hisce forma-
libus respondit. (a) Suscipere hospites nunquam
cessavi, Pauperes nunquam despexi, sed quæ ne-
cessaria fuerunt præbui; si in iudicio sedi, nec filii
mei personam contra justitiam accepi; alieni la-
boris fructus nunquam introjerunt in domum
meam; litem si vidi, nunquam præterii donec re-
conciliarem. dissidentes ad pacè; quantum in me
fuit nunquam permisi, ut potentior infirmū pre-
meret. Iam verò hisce maturè consideratis, mani-
festum est in corde hujus Principis actas fixisse
radices quod Ecclesiasticus monet dicens: (b) In
iudicando esto pupillis misericors ut pater, & pro
viro matri illorū, & Eris tu velut filius Altissimi
obediens; & miserebitur tui magis quam mater:
quo ita discamus non solum vitæ austeritatem,
verùm etiam Iustitię administrationem sanctos

);(3,

viros;

(a) In vita S. Paphnu. (b) Ecclesi.

viros efficere. Quod certè in multis Episcopis & ArchiEpiscopis Trevirensibus Antecessoribus Eminentia vestrae conspicuū est, qui divina sapientia perfusi, aurum & argentum quasi nihil reputabant, eoque mirabilia in Ecclesia militante operabantur juxta illud Ecclesiastici. (a) Beatus vir qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia thesauris, quis est hic & laudabimus eum fecit enim mirabilia in vita sua. nam sicut munerum ludicem excœcant, ita quoque animus à divitiarum cupiditate absolutus, quæ justa sunt aquilinis oculis intuetur & fovet.

Cum itaque Eminentia Vestra in ArchiEpiscopali dignitate (quæ onus est etiam ipsis (b) Angelicis humeris formidandum) per sollicitudinē omnium Ecclesiarum incredibiles pro domo Dei labores subire habeat, (c) & vel ideo etiam terrena inhabitatio deprimat sensum multa cogitantem, pro spiritali alleviatione jucundum & utile existimavi, si hunc librum quem de rebus cælestibus undique tractantem composui, Eminentia

(a) Eccl. 31. (b) ut Concil. Trident. (c) Sap. 9.

mentia Vestrae dedicarem. Praesertim quod Eminentia Vestra (tam humanis quam sacris litteris probe instructa) per ejus lectionem ad divinas praeustationes Dulciter possit elevari, ac gustare (a) quam suavis sit Dominus, etiam in hac vita pie illum quaerentibus; Id quod non tantum apud Religiosos viros sed etiam apud Magnates, & pro Dei Ecclesia militantes evenire conspicuum est, ex Bellicosissimo & pientissimo Rege Davide, qui inter alia de familiari Dei fruitione sic ait. (b) Dominus mihi locutus est, sicut lux aurorae, quae mane rutilat absque nubibus. Ut sciamus (juxta sacrorum Doctorum Interpretationem) non infimam aut mediam, sed supremam fuisse hanc cum Deo conjunctionem. neque hoc mirum videri debet, imo quam maximè decens; hinc etiam non ex infimo, aut medio, sed ex supremo Angelorum (c) choro Gabriel stetit juxta Regem Persarum; non solum quo illum ab insidiis hujus vitae tutaret, vel utilibus regni consiliis imbueret, sed etiam ut celestibus gaudiis divinum amo-

113

(a) Psal. 33. b) 2. Reg. 23. (c) Dan. 10.

rem incenderet; Quæ cum facta sint apud Gen-
tilium Reges, quantò magis certum est, hæc apud
sacros Antistites Ecclesiæ Christianæ fieri : Ne
autem longior sim, rogo Eminentiam Vestram,
ut hunc laborem & dedicationem clementer
suscipiat foveatque Nos interea Deum ter opti-
mum maximum pro foelici regimine, diutina in-
columitate, & æterna Beatitudine Eminentia
Vestræ constanter exorabimus. Datum Treviris
23. Iulii Anno 1652.

Eminentia Vestra

Humillimus

*Frater Victor Trevirensis
Capuccinus Indignus.*